

ERHARDUS VVEIGĒLIUS

Mathem. P. P.

VINHOLDO SUO

S. P. D.



Uanti à primo in Academiam nostram ingressu Te semper fecerim, verbis forsan, cum rerum adsint testimonia, declarare non est opus. Neque spe mea de Te conceptâ me excidisse præter alia bonarû artium specimina vel solæ disputationes publicæ nobis argumento esse possunt luculentissimo. Quatuor distinctis vicibus jam ante biennium & quod excurrit inferiorem non sine laude conscendisti cathedram; quintum eandem sub meo quoque præsidio repetis: etsi non dubitem, quin alieno destitutus patrociniò theses hasce Philosophico - Mathematicas cum omnium applausu solus possis defendere, quem scholis privatis, ne dicam publicis, in hoc genere aperiendis idoneum judicaverim. Hinc plus vice simplici quoque Tibi autor existi, ut summos in Philosophiâ honores vel gratis in Te conferendos à Collegio nostro modestè ambires. Nescio tamen cur in obscuro latere peculiari cunctationis genere Tibi tantopere arrideat. Ut sit, recommendatione publicâ Te præ multis aliis omninò dignum esse res ipsa loquitur. Faxit DEUS, optimus ille pauperularum Musarum adjutor, ut hoc quicquid est exercitii Tibi Patronos tantò promptiores excitet, quantò modestia Tua Te cunctantem hætenus postposuisse videri potest. Hisce Vale, mi Vinholde, disciplinasque Mathematicas, imprimis autem Geographiam Tibi semper à me destinatam, prout cepisti, demonstrationibus Euclidéis locupletandâ, excolere ne desine. Scrib. Jenæ in ædibus Collegii Cal. Dec. Anno 1671.